

cives Mendefii, ut in nummis ejus gentis hirci figura cufis apparet. Plura nec sine horrore referenda de cultu illo in hi-

storia narrantur, quibus libenter parcimus. Hæc summa Judaicæ Religionis in itinere per desertum.

DISSERTATIO

DE PISCE JONAM VORANTE.

Historiam hæc agitandam suscipimus, quam temerario ausu cavillis suis elevandam increduli, quique vacua habent, ut ipsi quidem jactitant, à præjudiciis mentem, aggressi sunt; & quasi de relata victoria sibi ipsis plaudentes, plenius buccis exaggerant absurda omnia, quæ in ejus lectione se deprehendisse gloriantur; exploratum tenere se jactitantes, totam hanc de Jona tridui spatium in ventre ceti commorante fabellam meram esse parabolam, ad arbitrium rei alicui insinuandæ proculsam. Quam bellè omnia? homo vestibus implicatus, in mare defectus nec tamen demersus; vix enim aquas attingens, piscem ingentis gulæ hiatu sese excipientem nactus est, in cujus ventrem citra discrimen dilapsus, triduo veluti in custodia servatur est. Quantam hæc fidem, reposcunt, hominem in ventre ceti clausum vivere, nutrir, respirare potuisse; quin & preces Deo offerre, veluti in terro quodam carcere clausum, unde tandem effugium sperabat (a)? Cui autem bono hæc omnia? ut scilicet Propheta rebellis & jussionibus Divinis refractarius servetur, qui constitutum à Deo locum adire recusans, se se ab ejus aspectu fugâ subduxit. Ut quid tali viro servando tanta impendantur? Nimirum ut invitus licet, Ninive adire compellatur; quasi verò ad id officii prestandum nemo aptus in Judæa Propheta superesset. Si nihil unquam in historia fabellam subolet, hoc ceteris præferendum est. Ita olim Pagani; ita hodie quoque vere Religionis adversarii: Hoc genus questionis multo cachinno à Pagani graviter irritum animadverti, ait S. Augustinus Epist. 102. in quaest. 6. de Jona n. 30.

Verum jam inde à pluribus sæculis Religio Christiana super omnes impiorum cachinnos sese extulit, infidelium calumnias evertit, exsufflavique. Profectò, ait S. Augustinus ibid. n. 31. tam arcto foedere omnia Scripturæ miracula juncta sunt, ut aut omnia credenda non sint, aut hoc cur non credatur causa nulla sit. Minorem ne fidem exigit, Jonam triduo in ventre ceti vitam transegisse, quam Jesum Christum triduum in sepulchro egisse, ac dein sese in vitam asseruisse; sicut & Lazarum quadriduam ad vitam ejus virtute revocatum venisse? An minoris operæ prodigium est, Jonam ex angustiis piscis eductum, quam ex ardenti fornace illætos Hebræos

juvenes in Babylonia prodidisse?

Si nostræ ætatis sycophantæ omnibus æquè Scripturæ prodigiis fidem detraxerint, frustra pro isto laboramus, nec ejus autoritas nisi asserta divinitate Sacrorum Librorum demonstraretur. Si verò Scripturas recipere se, ejusque prodigia, nonnulla saltem, profiterentur, cur huic præ aliis fidem denegaverint, ipsis probandum incumbit. Præscribant illi terminos divinx potestatis & ad certum definiant, quid Deus maximè potuerit, quid ejus potentiam refugiat.

Neque in præsentia nos probandam veritatem & auctoritatem Scripturarum suscipimus; nimis enim longè evocemur, & frustrâ etiam, postquam eandem Spartam alii ante nos adornarunt. Quare eâ re tanquam certâ constitutâ, inquam sanè omnes convenerint, quibus nihil ambigitur sive de existentia Dei, sive de summa illius in omnia, quæ sibi planè non repugnaverint, potestate; eâ, inquam, re constitutâ, demonstrandum suscipimus, nihil esse in eo prodigio repugnans, neque divinæ naturæ adversum, quanquam leges Naturæ à Deo præstitutas longè superavit. Quo semel demonstrato, resultabit tandem, nullo jure detrahi historix fidei debuisse, quanquam non tanquam commune aliquod & vulgare factum, sed tanquam divinum prodigium & supra naturam rem asserit.

Profectò cum de prodigiis agitur, duo constituenda sunt, repugnantia quidem in speciem, re tamen amica, sine quibus vix ac ne vix quidem miraculum staret. 1. Demonstrandum est, rem illam præstitutas à natura leges ita excedere, ut fieri nunquam naturæ viribus potuerit. Illud idem, cui natura est impar, singularibus & supra naturæ ordinem legibus par extitisse. Porro vitam aliquo temporis spatium produxisse sub aquis Jonam, nullius prodigii res est; cum exempla in eam rem suppetant peritissimorum urinatorum, ad aliquas horas & longius etiam temporis spatium sub aquis veventium. Scripturæ quin etiam verbis intelligimus Jon. 2. 1. Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam, statim ac nimirum aquas subit; quare omne ab illo discrimen demerisionis subductum est, altero tamen subeunte, nempe ne voracis monstri ingluvie sive abroderetur, sive suffocaretur, sive tandem in ejus ventre liqueceret. Quanquam potuit & sine miraculo fieri, ut

ut integer neque dentibus comminutus in monstri ventrem influeret. Solent enim carnivora monstra vivam escam in ventrem transmittere, quemadmodum in lucis continuo experimento tenemus, ad quorum stomachum transmissi vivi quidam pisciculi adhuc palpitantes exenterato pisce apparent. Teste etiam Rondeleto, monstra quadam marina piscatu apprehensa sunt, integro homine & lorica armato in ventrem transmissa foeta. Vix etiam ambigitur, pisces esse aded immanes, integro homini in ventrem transmittendo partes. Totum igitur quod in præsentia operosiorum discussionem exigit, illud est, nimirum Jonam potuisse toto triduo noctibus etiam jandis vitam in ventre ceti egisse.

In ipso tamen limine operæ pretium est quesivisse, quisnam piscis ille Jona devorato insignis? varii enim eâ de re varia. Balænam communi suffragio recepta opinio præfert; id enim vox Evangelii cetus (b) plerumque significat; quanquam & de monstis quibusque interdum usurpatur. Hebræum *Dag Gadol* immanis piscis, idem sonat, ac Græcum Cetos, & Latium Cetus, quæ vox æquè de immanibus quibusque piscibus, & cetaceis usurpatur. Porro Balæna immanissimus est omnium quot quot unquam noverimus, piscis marinus. Ejus gulæ aded immanis est hiatus, ut plures simul homines continere possit. Augustinus de Balæna quadam, cujus scheletrum Carthagine spectabatur, ait: *Quanto hiatu patebat os illud, quod veluti janua speluncæ illius (nempe ventris) fuit?* Olaus Magnus de piscibus monstros. l. 2. c. 15. 16. author est, Balænas septentrionalium regionum tam vastas esse immani corpore moles, ut si quando vi tempestatis dejectas in sicco obire, ac deinde putrefcere contingerit, ossa immanis piscis, veluti rudera relicta à longè intuentibus tanquam vastæ aliquæ naves, vel amplæ quadam domus pluribus fenestris, & conclavibus familiar non infrequenti continendæ instructæ, exhibeantur. Tradunt insuper, Balænas, cum tempestas ingruerit, catulos suos in gulam tanquam in arcem reducere, ut ab imminente discrimine in tutum reponant. Carent autem dentibus, ut nihil eâ de re detrimenti Jonæ timendum fuisset.

Profectò si de amplitudine esophagi, & stomachi argumentum ex oris hiatu capiendum est, magnam concipiamus oportet vastamque cavernam, quò ampla aded janua aditum præbeat. In ingenti illo immanique sacco duas, vel tres herbarum, cistas non rarò contineri narrant. Joannes Cabri Academicus Florentinus Balænam quandam ad Italiæ litora an. 1624. jactatam describit, aded vasto gulæ hiatu, ut vel equo assidentem virum commode transmitteret. Fatemur quidem, non in omnibus æquè locis similis generis monstra pelagum alere; sed non ignota sunt in Mediterraneo, & ad litora Phœnicix, ubi Jonæ historia contigit. Est igitur, cur Balænx stomachum subisse Prophetam suspicemur.

Dissert. Calmet Tom. I.

Quadrat etiam in eam sententiam illud, quod de Balæna narrant, herbis nimirum, sive maris spumâ, vel albenibus quibusdam pisciculis, ut halecibus, vel ejus generis insectis, quæ appellant pulices marinos, belluam victitare. Tradunt enim nunquam in ejus stomacho, cum cum pisce secari contigerit, reperiri grandiorum aliquem piscem; ut proinde mirari non subeat, si Jonas illæsus à calore intimo piscis, acidisque ventriculi humoribus servatus est; quæ enim solvendis tenuioribus cibis apta esse poterant, hæc incommodi aliquid viro asferre non poterant.

Hæc quamvis aliquem veritatis gustum sapere videantur, nihil tamen fidei extorquendæ apud nostros Criticos, & Naturalis Historix Scriptores valuerunt (c). Cum enim angustiori instructum esse gulam monstrum illud animadvertissent, eâ solâ ingestâ ratione plerosque à communi sententia abduxerunt. Contendunt nimirum illi, nihilo latiorum esse monstri gulam, quam semipedis latitudine, minor sanè hiatus, quam ut homini transmittendo par sit. Sanctè testatur Bartholius, Balænas immanissimas licet, quarum sola lingua 18. olei dolia sufficiat, ægrè humanum brachium in guttur admittere.

Verum exploratum est, tunicam illam distendi plurimum posse, & mortui animalis esophagum angustiorum esse, quam viventis; cum maximè cibum capere, & ab eo, si forte majus aliquid voraretur, distendi contingerit. Si enim à solo aspectu judicium penderet, halecem piscem alterum æqualis ferè molis vorare potuisse quis crederet; cum tamen quotidiana rei experientia fieri id posse demonstrat?

Sed Recentiorum fidem sequamur. Arbitrantur illi, piscem Jonæ non balænam fuisse, sed alterum marinum monstrum, *canem carcarium* appellant, quatuor molarum ordinibus vel quinque in utraque mandibulâ instructum; molaribus sanè acutis in cuspidem desinentibus & nonnullis digito oblongis. Esophago & stomacho aded est amplo, ut homines integros aliquando continuasse constet. Ferunt in ventrem similis monstri insulisse Herculem armatum, ac triduo ibidem mansisse, nec antea in lucem solemque regressum, quam post exta ejusdem monstri dilacerata; nihil autem subisse illum incommodi ferunt, nisi quod ejus intimo calore aliquid in coma passus fuerit (d). Quis non agnoscat, hanc fabellam ex historia Jonæ derivari? Græci enim historiam à Phœnicibus facillè acceptam fabularum velaminibus occultarunt, missum narrantes à Neptuno *canem Tritonem* sive canem Marinum, ut Herculem devoraret; sed vir strenuus in fauces piscis armatus insiliens, post tridui moram piscem coegit viam pandere, quo innuimus stratagemate.

Hoc ceti genus *Iamiam* etiam appellant, de qua hæc ad nostrum intentum apud Naturales observet. Immane aded est monstrum, ut nonnulla 4000. librarum pondus æquent, & vix unum duplici equo vecto

LIII

c Vide Rondelet. Aldrov. Scalig. contra Cardan. Boet. de animal. sac. part. 2. lib. 5. c. 12. Druj. in Jon. c. 2. Bartholin. de morbis. Bibli. art. 14.

d Lycophron ad quem locum lege Tzetzes. Vide & Cyril. hic Gros. Bochart.

a Jonas. 2. 2. 3. c. 1. Oravit Jonas de ventre piscis, & ait: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum. c. 1.

e Refert P.
Bylli Vide
Rondelet. &
Furetier.

curru trahatur. Nonnulla piscatu apprehensa sunt Massilæ, & Nicæ, teste Rondeleto, in cuius stomacho homines non integri tantum, sed quidam etiam suis armis instructi inventus est (e). Addit insuper, alterum vidisse se in Santonia, nec ex immanioribus sanè, cuius fauces homo ampliori corporatura influxisset. Si quis verò, ait, freno interjecto easdem fauces aperiat, commodum ad stomachum cani aditum, ut cibo ibidem reposito pascatur aperiet. Dentibus est acutis, asperis, crassioribus, triangularibus, in sicca modum dentatis, bis triplicato ordine dispositis; quorum primus ordo extra gulam pariet. Secundi ordinis recti sunt; alii verò interius curvati. Piscis est omnium avidissimus, minimo temporis spatio alimenta decoquens.

Inter duas hæc sententias, de balana nempe & de lamia, iudicium Lectori relinquimus; perinde est enim ad veritatem, five ad prodigium, cuiuscumque generis monstrum Prophetam deglutisse dicatur. Salvâ enim manente prodigii veritate, integrum Criticis relinquimus, ut quodcumque demum monstrum sub communi ceti nomine in Scriptura expressum intelligant. Quò verò inter seria aliquid Lectoribus detinendis miscamus, audiamus quid Rabbinus hac de re differuerint. Tradunt illi, piscem Jonæ alterius planè fuisse generis à cæteris piscibus, quos in mari videmus; jam inde enim ab initio creatum cetum ad eam rem autumantes, toto 3000. annorum, & quod excurrit, spatio expectasse Prophetam dicunt. Laudant in eam rem illud Jonæ 2. 1. Et preparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam. Singulare etiam aliquid tanto Rabbinus dignum, ex Textu Hebræo observat R. Salomon Jarchi, nimirum piscem in masculino designari vers. 1. Erat Jonas in ventre Piscis; & vers. 2. in foemino: Et oravit Jonas de ventre piscis. Unde varietas tanta? nimirum, ait Rabbinus, Jonas primùm in ventre maris receptus, commodam ibi habitationem nactus, preces suas Deo exhibere ne cogitavit quidem; volens proinde Deus, ut crimen ille suum agnosceret, à priori ceti provocato vomito egestum foemellæ vorandum tradidit, cuius ventre concepto jam foetu pleno, cum minis commodo habitaculo uteretur, in eas angustias redactus Propheta ad preces tandem versus est.

Non hic ego egregii huius Præceptoris in Israele ignorantiam demonstrandam suscipio, qui in stomacho concipere Balenam, ibique catulos suos nutrire autumavit; alia me ejusdem saporis vocant. Certum constituit idem Author, piscem Jonæ foetum in Mare rubrum natatu devotum; quò verò spem viri aleret, nutantemque jam fidem confirmaret, permisit Deus, ut in obscuro ejusdem piscis carcere clausus, superno tamen irradiatus lumine fluctus illos alveumque videret, quem olim patres sui sicco pede transferant. Erant autem pisci septem oculi, quibus tamquam fenestris Propheta mare ipsum, ejus-

demque alvei altitudinem oculis dimetiatur;

Spektatum admissi visum teneatis, amici (u)? f Horat. de Arte Poet. init.

Sed ad seria transeamus. Ex iis quæ hucusque animadvertimus, nullo vel saltem non ingenti sanè prodigio potuisse Jonam in ventre live balenæ, five canis marini excipi, Lectores intelligent; modò tamen guttur balenæ tantum extendi potuisse credatur, quantum capiendo hominè sufficiat. Restat nunc demonstrare, quoniam fieret ut homo, non dico sine prodigio, sed ratione saltem non repugnanter, longiorem moram in ventre ejusdem ceti protraheret: uno verbo, an valuerit homo Dei ope fultus intimo piscis calori, & vi humorum concoquentium alimenta resistisse, respirandi interim facultate five non prohibita five prohibita quidem, sed absque viri dispendio. Hic nimirum omnia argumenta in prodigii fidem opposita majoris ponderis insistant.

Valuisse Deum, eâ, qua pollet, virtute acidorum humorum vim ita retundere ac hebetare, vel in stomacho maximè carnivoro & calidissimo, nullus dubito (g); quem admodum enim voraci flammæ ardore in fornace Babylonæ represso tres illos juvenes illæfos servavit; quemadmodum è corpore S. Petri sublato pondere, vel aquis supergredi virum iussit, vel liquidum illud elementum stabile gradienti obsequium præbere coegit; ita pariter voracem viscerum calorem in officio continuit. Nihil enim hic supra vires Authoris naturæ, à quo omnis corporum actio accepto referenda est, cuius iussu suspensa omnia manent, mutantur, five in totum five in partem, pro ejus arbitrio, qui omnia movet, & impressos olim motus pro libito dirigit. Reputandum ceteroqui non est, in ventriculo ceti intolerabilem adeò calorem fervere, ut viventi corpori aliquid incommodi inferri valuerit: quod enim compactos alioqui cibos, & solida quæque alimenta dissolvit, humor est falsus, mordax, abrodens, intimè sese insinuans; quo partium gluten dissolvente, defluere totum corpus cogitur, tum vi ejusdem humoris adeò omnia friantur, ut alendo animalis corpori apta sint. Quod verò mortua alimenta concoquit, cave credas idem & in viventia corpora valere. Jonas in ventre ceti valido vegetoque corpore, non iners, & veluti inanime quoddam manebat; quare acidi corrosivi depellere à se injurias poterat; cum interim nihil simile mortuis alimentis contingat.

Tandem ad respirationem quod attinet, esse quidem supra leges consuetas naturæ fatemur, ut libera illius facultas homini in ventre ceti clauso permittatur, vel saltem si quid illi respirationis permiffum sit, vix credimus aptum vitæ detinentiæ & sanguinis refrigerio, fluiditati & elaterio ad servandam corporis œconomiam, aerem trahere; quod tamen naturæ vires superat, Deo pronum fuisse ne dubitamus quidem. Potuit summus ille rerum Arbiter

g Theodor. in Jonæ 2.

ita sanguinem Jonæ quietum retinere ut nullâ frequenti respiratione opus haberet, uti quotidiano experimento discimus, animalia quædam sub terra esse, in imo aquarum gurgite pluribus mensibus manere, omni intermissâ respiratione, & genere quodam lethi five stuporis ita detenta, ut sanguis ferè profusus iners & sine motu manere videatur, absque eo quod five concreverit five refrigerit, sed priorem recipere statum valeat, cum sol propius ad nos accedens, terram & animalia calore suo fovit. Ita etiam accidisse legimus urinatoribus quibusdam, plurium horarum spatio omni respirandi facultate interclusâ sub aquis manentibus; ita etiam de infantibus vulgatum est, qui in utero matris detenti nullâ respiratione utuntur.

Veteres Medici persuasum habebant, pueris in eo ratu sanguinem & cor profusus quiescere, inertibus etiam manentibus pulmonibus. Sed recentiores Anatomistæ, quibus constitutum est, neminem sine circulatione sanguinis vivere, pluribus experimentis demonstrant, in foetu ovalis cuiusdam foraminis beneficio sanguinis quandam communicationem inter venam cavam & venam pulmonis detineri, qua sanguis ex una in aliam transeat, absque eo quòd longiori circulo in ventriculum cordis transmittatur. Observant etiam, maximam sanguinis partem ex arteria pulmonis in aortam, medio quodam arteriali canali, Botalem vocant, deduci, ut breviori itinere non interrupta circulatione detineatur. Ita planè sanguinis illa portio longiorem circulum per lobos pulmonis evitat, per lobos, inquam, quos tunc primò sanguine oppleri inertiamque suam excutere constat, cum trahendi aerem facultas infanti suppetit; tunc enim sanguis è corde in arteriam, cuius est orificium in ventriculo cordis, compulsus, rectâ, quantum fieri potest, viâ in pulmones influit, inde iterum per ductum venæ pulmonariæ in cor; ex quo factum, ut canales sanguinis communicationi in foetu servientes occludantur & arescant.

Fieri tamen casu quodam poterit, ut canales illi intacti serventur, ex quo totum urinatorum miraculum, longiorem temporis moram omni interclusâ respirandi facultate trahentium, Physicis exponunt. Neque nos probandum assumimus, Jonam ex illis unum fuisse, sed nihil esse in ea re impossibile, si factum spectetur, nihil naturæ legibus repugnans contendimus. Quanquam circumstantiis omnibus spectatis, fateamur oportet, historiam, de qua modò, consuetas naturæ leges transcendisse, ut prodigium Divinum agnoscere compellamur.

Plus nimio etiam in majus aucta difficultas de tempore, quo Jonas in ventre ceti mortuus est, facile videretur. Fateor ego quidem, expressis Scripturæ verbis totum illud spatium ita definiti: Tribus diebus & tribus noctibus (h); sed numquid non idem & de tempore conditi in sepulchro cadaveris Jesu Christi, Matthæi 12. 40. 41. legimus? Sicut fuit Jonas in ventre ceti

Dissert. Calmet. Tom. I.

tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terra tribus diebus & tribus noctibus. Solo autem 34. horarum circiter spatio in tumulo Filium Dei mansisse, ex eadem Scriptura scimus. Quid igitur non paria etiam de Jona suspicari liceat? Sed nullâ necessitate brevior tempus cogimur; ex quo enim demonstratum est, potuisse virum integrâ die illæsum detineri, potuit & triduum; utrumque enim æquè pronum Deo omnia valenti; magis enim & minus ei, qui omnia potest, æquè pronum reputandum est.

At enim à Sapientia Divina consilio alienum videbatur, ut prodigium nullâ cogente necessitate impenderet. Esto: Deus prodigio electum sibi populum & in angustiis constitutum, in ipsis Egyptiorum faucibus servaverit, nulla enim tunc salutis reliqua via suppetebat. Nec inviti etiam assentimur prodigio educendi aquas è silice, potandis scilicet in extremis ardentis sitis angustiis Hebræis; quid ni enim Deus virtutis sue brachium exerat, cum nulla suppetunt naturalis opis adjumenta? Quid verò cogebat, ut Jonas immunis & tanto quidem prodigio servaretur? Nonne vir ille Deum in se, neglecto ejus mandato, concitaverat, ut criminis sui merito fluctibus seuæ tempestatis atque marini monstri injuriis permitteretur? Nonne commodius fuisset, seu vim tempestatis reprimere, seu navim in litora compellere, postquam Jonas respicisset, quàm ut tanto prodigio liberaretur? Potuit tandem alter loco illius Propheta in Urbe Ninive suscitari. Sapientissimus rerum Provisor simplicissimis viis & compendiosis delectatur; ut timeri jure meritoque possit, ne, dum summa virtutis potentia commendanda suscipitur, ejus & sapientiæ & providentiæ labris aliquid inferatur.

Totam hujus argumenti vim sentire nos ultrò profitemur: sed aliud planè quàm intentum nostrum convincit; cum illud velut immixtum spiculum in adversarios ipsos remittere valeamus, hæc oggerentes: Historia Jonæ, qualem describit Sacra Scriptura, res est inconcussa authoritatis certumque prodigium; Deus verò prodigiis temerè patrandis non delectatur. Habuit igitur, cur prodigium eâ occasione operaretur. Nec sanè ejus consilium nos latet, quin plura etiam assequamur. Quanquam autem idem consilium Dei scrutari refugimus, ita tamen de universa illa historia cogitandum est, quasi scilicet Deus duplici adductus ratione ad prodigium induceretur. 1. Ut Ninivitas ad poenitentiam adducens, futuris sæculis sincera illos poenitentis exemplum poneret. Quid autem hominibus persuadendis valisset magis, quàm si virum suadentem audirent, qui post exactum in ventre ceti tridui spatium, in dias luminis auras Divino prodigio evocante venisset?

Alterum, quod Deum impellere ad prodigium poterat, illud est, ut novum Oraculi genus de articulo nostræ Fidei longe maximo, nempe de Resurrectione Jesu Christi exhiberet; neque enim in dictis fa-

L 111 2

616

h Jonæ 2. 1.